

one ac aliis rationibus animum eujuscunq; permoventibus com-  
 pellimur; ideo reasumendo antiquam laudabilem hujus Collegii  
 de manutenenda communi mensa consuetudinem, statuimus et or-  
 dinamus, ut Praepositus Collegii pro tempore existens, ex censib; ad  
 mensam Collegii spectantibus, mensam communem quotidie, idq; diebus  
 feriatis mediâ duodecimâ, jam verò diebus non feriatis horâ undecimâ,  
 Cœnam verò hyeme horâ sexta, & state horâ Septima juxta cursum  
 medii Horologii, haberi, portiones pro diversitate dierum diversas  
 apponi, alias consuetudinem antiquam hujus Collegii et aliorum  
 observari curet. Precedens enim consuetudo et ratio quâ consuetudinem  
 suasit, tenenda est. can. Consuetudo. dist. 12.

**STATUTUM XXXI.**

**De Portione Professoris à Mensa absentis.**

Quoniam qui alimenta negat, necare videtur. l. Necare. ff. de Liber. agnoscen. Ideo Clarissimus Dominus Praepositus pro tempore existens absentis à Mensa Professori et sectionem hac die, si est non feriata legenti, alimenta hoc est portionem eundem concernentem non deneget, imò eandem exceptis pul-  
 tibus, multo magis si sit in negotio Collegii vel Universitatis et hac die speretur, in Pulina observari curet. Absentia enim ejus, qui causa communi abest, neq; ei, neq; alii damnosa esse de-  
 bet. l. e Absentia. ff. de Regul. Jur.

**STATUTUM XXXII.**

**De benedictione, gratiarum actione et aliis circa Mensam servandis.**

Quandocumque Cibum, maxime in sortem Dei electorum debeat pro-  
 cedere benedictio, inter Cibum lectio, post cibum gratiarum actio.  
can. Quando autem. dist. 44. ideo in hârendo ejusmodi canonis  
 disposit